Venia est debite pene remissio. Nichil pulchrius existimo fastigio collocatis quam veniam de omnibus dare, nulli petere, nec aliquid omittere quod minus alicui fieri velis. Explicit tractatus Senece de clementia. Incipit tractatus eiusdem de prouidentia.

Superfluum est velle ostendere tanti operis quantum minus est sine custode constare, et hunc siderum cursum fortuiti impetus esse. Nota Rerum natura non patitur ut umquam bona bonis noceant. Inter bonos viros ac deum amicicia est conciliante virtute. Immo et similitudo. Bonus homo tantum tempore differt a deo. Itaque cum videris bonos viros laborare, sudare et per arduum ascendere, malos autem lascivire et voluptatibus fluere, cogita bonos patres filiorum strictiori disciplina et modestia delectari, vernularum autem laxare licentiam. Deus bonum virum in deliciis esse non patitur, sed experitur eum et indurat et illi preparat. Nichil bono viro accidere potest. Sicut omnia flumina, imbres et fontes maris saporem non alterant nec remittunt, sic adversarum impetus non mutat animum viri fortis, est enim omnibus externis potentior. Nec dico non sentit,